

adiacente, quos terminos ipsis conferimus iure proprietatis sine omni exactione inpeticione seu census solucione liberos perpetuo possidendos; excepto tamen, quod via vicina orto iam dicto, que ducit ad litus Molde contra montem, qui dicitur Buckendestein, debet usui civitatis cum necessarium fuerit perpetuo deservire, hoc adicientes, quod si quod absit ex
 5 repagulo glaci vel inundacione aque alia qualicumque murorum civitatis nostre dirupcio vel incommodum evenerit, civibus nostris ad interesse talium tenebimur et restaurum. Ceterum ut amicitia inter dictos dominum abbatem et conventum Cellensem et nos in solidum reformata naufragium de cetero nullatenus paciatur, decernimus, ut orti supradicti a nobis in pascuam pecorum iam redacti nullis aliis usibus applicentur; verum si
 10 secus a nobis presumptum fuerit quoquo modo, quicquid inde fructus provenerit vel emolumentum, iurisdictioni et utilitati sepedictorum domini abbatis et conventus Cellensis cedet contradictione nostrorum civium non obstante. Preterea quamdiu fundus in molendinis inferioribus per insultum fluvii non dirumpitur, molendina eadem non erunt in locum alium transferenda; si vero funditus impedimentum affuerit, ne fossatum, quod stadegrabe dicitur,
 15 contingant, licite transferentur, dummodo retinaculum aque ibidem factum non fiat ponti vel civitati dampnosum aliquo modo vel molestum. Insuper si iam dicta molendina transferri de loco ad locum contingat, area tunc assumpta mensuram relicti spacia non excedat, in cuius restaurum ipsis monachis partem lignorum ex altera parte Molde dedimus assignatam. Insula quoque ulterior molendinis sepedictis adiacens civitati eadem libertate cum
 20 predictis pascuis adiacebit vel etiam adhaerebit. Preterea molendinum apud valvam, que vector dicitur, instauratum, si aliquo casu fortuito diruptum reedificari non possit, exclusis edificiis area erit sicut prius nostre libera civitatis. Ut igitur omnium supradictorum rationabilis processus perpetui obtineat vim vigoris et ne cuiusquam in posterum interpretacione sinistra valeat inmutari, presentem paginam exinde conscriptam sigillis inclite domine
 25 nostre Katherine quondam Misnensis marchionisse et nostre civitatis nec non conventus fratrum sancti Augustini in Grimmis censuimus communiri. Testes huius rei sunt Iohannes scultetus civitatis, Henricus Diues magister civium, Iohannes Gerlindis, Henricus Rono, Iohannes Vinitor, Titzco de Bork, Henricus de Luzk, Theodericus de Greten, Cunradus de Bork, Waltherus Weestütz, Henricus de Pomzyn, Theodericus Prutenus, Eberhardus
 30 de Nymut, Henricus Odilie et alii fide digni. Datum Grimmis anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, quarto nonas septembris.

(S.)

(S.)

(S.)

16.

Rochlitz, 1293 Mai 18.

35 *Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 1426. Das beschädigte Reitersiegel (Passe Siegel der Wettiner Taf. VII, 5) an Pergamentstreifen.
 Anm.: Vergl. Lorenz Grimma 245.*

*Markgraf Friedrich der Freidige verordnet, da der Abt und Convent des Klosters Altzelle in suis molendinis in Grimmis retinaculis agris rubetis nemoribus ad prefata
 40 molendina spectantibus, que cum omni iure tam civilis quam criminalis possederunt et*